Pro ea, quâ ante annum decimum ortum Heidelbergæ fa-
miliarissimè usi sumus amicitiâ, Humanissime D. Fabrici, ami-
ce optime: facere non potui, quin occasionem tam idoneam na-
ctus ad te scribendi, pristinæ illius consuetudinis nostræ memo-
riam tibi refricarem non longâ epistolâ, quam occupationes
meæ nunc quidem non ferunt, et quæ alterius forte temporis
fuerit, sed familiari salutatione. Si enim in amicitiâ veterri-
ma quæque suavissima debent esse: nihil mihi sanè jucundius hoc tempore
visum est, quam posse salutare, et appellare veterem illum amicū
Fabricium, meumque rursus facere, cui suum et plus quàm suum olim me
esse memini. Pari, ni fallor, ut olim, ita nunc quoque marigio na-
vigamus. Ego hîc in sextum annum, post variam superiorum tempo-
rum fortunam, juventuti servio: Tu annos, ni fallor, jam plures
Hornbachianam scholam regis, magnâ cum laude tuâ, et usu
utaudis juventutis maximo. Tenemus ergò eundem uterque cursū
et communem scopum, quasi duo illi, de quibus vulgò dicitur
δύ᾽ ἐξ κοινῆς, ad suum Palladium. Cum verò proprium sit mo-
nere et moneri veræ amicitiæ, et ille inquit, et alterum liberè
facere, non asperè: alterum patien ter accipere, non repugnā-
ter; obsecro te per amicitiam nostram, ut in controversiâ
Eucharistica idem ille sis, qui fuisti olim: et optimi vestri
Principis pios conatus ad Zelum immovendæ purioris doctri-
næ de Persona & cœna Dñi ac Servatoris nostri, tuo loco,
ut potes, juves atque confirmes. Nihil hic hominū authoritas
nihil gratia, nihil compendii valeant. Causa aperta est, de qua
agitur. Improbas, ut intelligo, ubiquitariorum figmentum.
Merito profectò. Monstra enim teterrima a temporibus
Eutychetis in symbolum Christianæ fidei non fuerit in vecta.
Prætereà tamen, ut audio, illud vincula præsidium ubiquitas ab illis
excogitata fuit. πολυτοπίαν nimirum corporis Christi, h. e. ex-
tensionem ejus et essentiam ἐντοπίως vocant, ut vel sub multis panibus
simul. Quæso absterges fascinum oculis tuis: Aut papistica
aut consubstantiationem μετουσίαν, panis est corpus Christi.
Neque enim audiendi sunt, qui hodiè contra Lutherum et ver-
ba Christi idem esse quod τοῦτό ἐστι
tolem negant, τοῦτο in verbis Christi idem esse quod ....
tos. Non papistica Pontificia, te ipso teste: Non consubstantialia Lutheri.
quia nos contra mordicus tenemus et urgemus. τὸ ἐστὶ τὸ
Christi, Hoc est corpus ~~Christi~~ meum: non autem: Corpus
meum est in, vel cum, vel sub hoc pane. Nec potest verbori
Christi literalis sententia esse alia: quam hæc: Essentia
hujus panis est essentia corporis mei. At hoc non mi-

nus Pontificii & Lutherani negant, quod nos etiam: Cur non
igitur potius irent in illam Augustini sententiam,
quae ex sententiis Prosperi citatur in Decr: de consecr.
d. 2. Coelestis panis, qui vere Christi caro, suo modo voca tur
corpus Christi: cum revera sit Sacramentum corporis
Christi, vocaturq; ipsa immolatio carnis, quae sacerdotis ma-
nibus fit. Christi passio, mors, crucifixio, non rei verita-
tem (h. e. neque essentia, neque corporalitate aliquâ) sed signifi-
cante mysterio? Et in illam ejusdem ad Adimant. cap. 12. Non
dubitavit Dominus dicere: Hoc est corpus meum, cum da-
ret signum corporis sui? Et in illud Chrysostomi: in 1.
Cor. 10. hom. 24. Quid significat panis? Corpus Christi.
Sed non erit quod te apud plurimos, quem scio non pendere
velle à vulgo Theologorum, sed veritatem amare et con-
sensum piae antiquitatis magnifacere: Sit quaeso, firmamen-
tum stabilitatis, constantiaeq; ejus, quam in amicitia
nostra quaero, fides: et in fide ὁμόνοια. D. Ahasuerum juve-
nem pium et eruditum, collegam tuum, tibi de meliore no-
ta commendo. Est enim et mihi et multis apud nos cha-
rus, et credo utiliter officium suum facere in schola
vestra. Vale Fabrici optime, et amicorum meorum an-
tiquissime. Dominus Jesus te cum uxore et familia servet.
Si me, ut olim, nunc amas, fac ut brevi respondeas. Hei-
delbergae XIV. Junij 1591.

Qui quondam tuus et plus quam tuus esse solebat,
Hoc tibi, nunc tamen est: et vult tuus esse. Parey.

Virtute ac eruditione praestantissimo
viro D. Henrico Fabricio Medicinae
Doctori: Scholae illustris Hornbachianae
Rectori dignissimo: Domino et amico
suo veteri. Hornbach.

1097 Veritatem dico, nunquam injuria afficit D. Ursinum, qui-
cunq; commentarios in Catechismum sub ejus nomine Gene-
vae edidit. aut enim ejus sententiam de justificatio-
ne hominis ignoravit, aut maligne adulteravit.
Testabuntur hoc omnes illi, quicunq; D. Ursinum cum a-
liqua attentione audiverunt. Bene igitur & de Ecclesia
et de communi nostro praeceptore meriteris, quod aliis
commentariis eundem Catechismum illustrasti. Ro-
go te mi frater, ut ejusdem praeceptoris nostri
commentarios, vel quaestiones potius in organum Ar-